



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XV. Gregorii Papae I. Ad Georgivm Et Theodorvm. Dominum
descendentem ad inferos illos secum assumpsisse ac liberasse, qui in
illum crediderant, & eius praecepta seruauerant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

gruunt, per Marianum defensorem nostrum vobis verbo intimanda mandauimus. Illum vero episcopum quem a fraternitate tua inuenimus esse depositum, postquam sacri Canones, sicut nostis, ultra tres menses ecclesiam præcipiant non vacare, si manifestum in eo crimen apparuit, loco eius episcopum studii vestri sit modis omnibus ordinare, quia diu sine proprio rectore esse non debet ecclesia.

Mense Maio, indictione decimaquinta.

EPISTOLA XV.

GREGORII PAPÆ I.

AD GEORGIVM ET THEODORVM.

Dominum descendente ad inferos illos secum assumptisse ac liberasse, qui in illum crediderant, & eius præcepta seruauerant.

Gregorius Georgio presbytero, & Theodoro diacono ecclesiæ Constantinopolitanæ.

MEMOR bonitatis vestræ atque caritatis, memetipsum valde reprehendo, quod vos ad remeandum citius relaxaui: sed quia semel ac secundo importune mihi de relaxatione vestra vos insistentes vidi, perpendi ne graue esset, si vestra apud nos dilectio moraretur. Postquam vero cognouimus vos propter hiemis tempus tam longo tempore in itinere remansisse, fateor, citius dimissos esse vos dolui. Si enim iter propositum vestra dilectio peragere non valebat, melius fuerat ut apud me moram quam extra me faceret. Præterea post discessum vestrum dilectissimis filiis meis diaconis narrantibus agnoui, quod dilectio vestra dixisset: omnipotentem Dominum Salvatorem nostrum Iesum Christum ad inferos descendente omnes qui illic confiterentur eum Deum saluasse, atque a pœnis debitis liberasse. De qua re volo ut fraternitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per suam gratiam liberauit, qui eum & venturum esse crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant. Constat autem quia post incarnationem Domini nullus etiam ex his saluari potest, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent; quia scriptum est: *Confitentur se nosse Deum, factis au-*

tem

tem negant. Et Ioannes ait: *Qui dicit quia nouit eum, & mada-* 1. Ioan. 2.
ta eius non custodit, mendax est. Iacobus quoque frater Domi-
 ni scribit, dicens: *Fides sine operibus mortua est.* Si ergo fideles Iacob. 2.
 nunc sine bonis operibus non saluantur, & infideles ac re-
 probi sine bona actione Domino ad inferos descendente
 saluati sunt, melior illorum fors fuit qui incarnationem
 Domini minime viderunt, quam horum qui post incarna-
 tionis eius mysterium nati sunt. Quod quantæ fatuitatis
 sit dicere vel sentire, ipse Dominus testatur discipulis, di-
 cens: *Multi reges & prophetae cupierunt videre quæ vos videtis,* Matth. 13.
& non viderunt. Sed ne dilectionem vestram in mea dispu-
 tatione immorer, quid de hac hæresi Philaster in libro
 quem de hæresibus scripsit dixerit, cognoscat. Cuius hæc
 verba sunt: *Sunt hæretici qui dicunt Dominum in infernum de-*
scendisse, & omnibus post mortem suam etiam ibidem se nuntiasse,
ut confitentes ibidem saluarentur; cum hoc sit contrarium dicenti
prophetae Dauid: In inferno autem quis confitebitur tibi? Et Apo- Psal. 6.
 stolus: *Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Cuius Rom. 2.
 verbis beatus quoque Augustinus in eo libro concordat
 quem de hæresibus scripsit. Hæc itaque omnia pertra-
 ctantes, nihi aliud teneatis, nisi quod vera fides per catho-
 licam ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Do-
 minus illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos
 viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona ope-
 ratione seruauit. Quod enim per euangelium dicit: *Cum* Ioan. 12.
exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, omnia vide-
 licet electa: nam trahi ad Deum post mortem non potuit,
 qui se a Deo male viuendo separauit. Omnipotens Deus
 sua vos protectione custodiat, ut vbicumque estis, & in
 anima & in corpore gratiæ eius auxilium sentiat.

EPISTOLA XVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD AGNELLVM EPISCOPVM TERRACINENSEM.

De obitu Bacaudæ, & visitatione ecclesiæ eius.

Gregorius Agnello episcopo Terracinenfi.

OBITVM Bacaudæ antistitis directa relatio patefecit,
 quapropter visitationis ecclesiæ destitutæ fraternita-
 Concil. Tom. 13.

Z z z